Protestatio Christianissimi Regis Gallorvm, habita et exhibita praestantissimæ Reginae Angliç, per Ordinarium Christianissimi Regis, ad Angliæ Reginam Legatum.

Excusum Londini apud Reginaldum Wolfium, Regiæ Maiest. in Latinis typographum.

ANNO DOMINI M. D. LX.

BRITISH MUSEUM

EX ILLO TEMPORE, quo Christianissimus Galliæ Rex recens mortuus, ex hac uita excessit, cui Deus misericordiã impertiat, facillime cerni potuit, quemadmodum eius filius præsens Galliæ Rex concupiuerit: ut non solum in Regale patris soliũ ingrederetur, sed etiam eas dem susciperet publicæ pacis, & quietis cogitationes quibus ante se pater usus fuerat, itaque ad hoc animum adiecit, ut bellorum finem faceret, cum finitimis Principibus gestorum: & pacem firmam bonis conditionibus concluderet, & amicitiam cum illis institueret: nec quicquam eorum prætermisit, quibus hoc negotium ad exitum perduci posset. Nominatim autem, idem Rex omni ratione & uia, beneuolentiam uberrimam Angliæ Reginæ charissime sorori & consanguineæ exposuit, cum in eo quod obsides sicut promiserat summa fide, propter tractatũ qui de Caleto fuit, exhibuit: tum etiam in eo, quod uniuersis Anglis tutum transitũ, & securam transfretationem ad Galliam præstitit, nullo illis damno illato: uel si quid forte fuit, large pro eo est satisfactum. Hæc autem cùm ita sint, in hoc tranquillo rerum reliquarum statu, Scoti ab officio recesserunt, & fidem fregerunt, quam Regi Galliæ debent &

Reginæ, illius præstantissimæ conjugi. Quibus ut in tempore posset occurri, cum Rex certas eò cohortes transmisisset, Angliæ Regina, ingentem & instructum exercitum, terra & mari in Scotiam amãdauit, & huius tam magni apparatus, hanc causam afferebat, quod in metu scilicet esset, ne Regia præsidia quæ partim in Scotia essent, partim eò iter haberent, in Angliam irrumperent: præsertim cum & minæ de eo antegressæ essent, & Scotiæ Regina, regni Angliæ insignia recens usurparet. Quæres, quam primùm ad Galliæ Regis aures peruenisset, statim per legatos omnes propositi sui rationes uerè & syncerè sicut erant, Angliæ Reginæ patefecit: quæ longissimè à uiolatione nuper institutæ pacis aberant, nec omninò quicquam habebant, quo Reginæ conditio, uel Angliæ Regni deterior, ullo modo redderetur. Et ut apud Reginam certius testimonium beneuolentiæ Regis extaret, Regio mandato quædam Gallorum manus reuocatæ sunt, & inhibitæ, quas in Scotiam emittere destinauerat, & interĩ deliberabatur quomodo Scoti rebelles, amica aliqua compositione interposita ad officium redirent, & culpam agnoscerent: quod si facerent, Rex & ueniam concedere paratus erat, & omnem offensionis memoriã deponere: modo Scoti deinceps sanioribus consilijs uti uellẽt, & in illa fide permanere,

quam

quam sibi & contingi deberent, iuxta formulam conditionis, quam Rex illis proposuerat: & ut Regiũ hoc pacis consilium, facilius procederet: Rex, Angliæ Reginam interpellauit, ut ad Scotorũm pacificationem adiutrix esset, ut illis placatis, nulla dubitatio uel suspitio Gallicorũ armorum, in animo Reginæ relinqueretur: quam ut Rex plane remoueret, promisit se maximam præsidiorum suorum partẽ ex Scotia deducturum, nec ullas maiores copias ibi residere passurum, nisi quas necessarias esse iudicaret, ad Scotos in officio continendos, & ius suum si opus esset, armis defendendum. Et has ipsas copias fore promittebat tam exiles, ut nullum Angliæ Reginæ iustum metum afferre possent. Præterea, rex colloquium offerebat, & certas se personas nominaturũ spondebat, si Regina similiter facere uellet, ut istis disceptatoribus utrinque adhibitis, omnis controuersia quæ inter regem & Reginam Angliæ intercederet, tolleretur, & amica determinatione concluderetur, sicut capita pacis postularent, quibus ante fuisset assensum. Regina uerò Angliæ, nullam admittebat aliam conditionem, nisi Galliæ rex, ut omnibus Reginæ postulatis ita satisfaceret, quomodo maximè Regina ipsa uellet: hoc autem Regina nominatim requirebat, ut omnia Gallorum præsidia die præscripto, nulla colloquij mora interposita, stati-

tim Scotia deducerentur. Quæ sanè petitio, noua & mirabilis uisa est, Principũ enim in temporibus pacis, congressus & disceptationes ad æquabilem dubitationum & litium definitionem instituuntur, in quibus neutri parti licet, ipsã sibi ius dicere: nec alteri certas conditiones præscribere, hac enim uia, Princeps cum proprio populo & suo procedere debet. Præterea, quòd minimè profectò omnium ferendum est, Regina classem iam ante ad hoc præparatam, in Scotiæ fines immiserat, quæ multas naues Gallicas inuasit, & deprædata est, partim quidem bellicas, & ad ore maritimæ defensionem dispositas, partim commeatu & mercibus onustas, ex quibus aliqua Regis ipsius erant, nonnulla regis subiectorum. Deinde uerò res in apertum bellum erupit, regijs administris & militibus contrucidatis, & Angli longius progressi, in Insula sunt expositi, quam Inskithum appellant, qua furtim potiri cogitarant, ubi multos interceperunt Regios milites, & omnis generis ediderunt hostilia facinora. Quibus tamen iniurijs, Rex adduci non potuit, ut Reginam crederet quicquam amplius contra se tentaturam esse. quoniam nec in Scotia ius ullum habebat, nec Regius exercitus ullam iustã afferre poterat metus causam: cum Regina numerum teneret Gallicorum militum, nec ullam aliam haberet legitimam offensionẽ,

cum

cum nihil in Scotiæ regno tale committeretur, ut me
ritò Regina de eo queri posset. Reliquis autẽ in re-
bus plenissimè Rex se credebat Regina satisfeciſſe,
cum de pace sancienda uoluntatis suæ propensionem
declarauisset, multa per Legatos offerendo, quibus
ad æquas cõcordiæ cõditiones descendi posset. Quas
res cum ordinarius in Anglia Regius Legatus in-
culcauisset, & eadem in Gallia Reginæ Legato
similiter commendata fuissent, Rex longius in hoc
pacis studio prouectus, D. Episcopum Valentiæ,
uirum authoritate & gratia pollentem, & interio-
ris Senatus Consiliarium, ad Reginam legauit:
cum mandato stabiliendæ præsentis concordiæ, tum
etiam perpetuandæ pacis inter Principes & amici-
tiæ. Potestatem etiam habebat idem Episcopus à
Regina cognoscendi, rebus his omnibus ritè perfe-
ctis, ecquid esset aliud de quo addubitaret, ac si esset, ut
rex ꝗs primum de eo certior redderetur, deinde pro-
geret Episcopus in Scotiam, & daret operã quan-
tum posset, ut Scotos rebelles ad pacem & obsequi-
um inflecteret, qui legitimum regis & reginæ si uel-
lent imperium agnoscere, tum ut illis nomine regio
denunciaretur, Regem omnes illorũ superiores in-
iurias ex animo deleturum, & etiam plerasq; copio-
as amoliturum, ut omnino nullam haberet reliquam,
Angliæ regina belli suspitionem. Regis autem pacis

studium

ſtudium ut teſtatius efficeretur, & quantum à bello abhorreret, regem Catholicum fratrem chariſſimũ apud Angliæ Reginam interceſſorem adhibuit, qui iacturas & detrimenta belli quoniam optimè perno-uit, magno pacis deſyderio, D. Glaionẽ uirum primarium, Aurei uelleris equitem, & tormentorũ præfectum, ad Angliæ Reginam tranſmiſit, ut pacem illi ſuo nomine commendaret ac concordiã. hæc omnia pacis & quietis conſilia cum rex propoſuerit, ut uniuerſus orbis Chriſtianus intelligeret, quã alienus ſit à tumultu & ſtrepitu bellico: tamen omnibus his rationibus apud Angliæ Reginam profici non potuit, itaque terra demiſit in Scotiam exercitum, ut copijs terreſtribus & maritimis, ui profligarentur regij milites & adminiſtri, ſicut ſcripto ſciri poteſt, quod typis propagari curauit, ut in eo teſtimonium ſuæ uoluntatis extaret. Quod ſcriptum nullam in ſe rationem habet, nam ſi res ita procederet, facillimè poteſt animaduerti, quomodo Rex & Regina quam citiſſimè regno Scotiæ pellerentur. Et certè res hæc eſt iniurioſiſſima, & peſſimũ principibus affert ac periculoſiſſimum exemplum, ut rebellis plebs à Principe deſciſcens, patronos inueniat ſuæ defectionis. Qua in re mandatũ regius Legatus accepit, ut id coram Angliæ Regina cõmemoret, ac etiam ut regium de pace confirmanda pro-

poſitum

positum repetat sicut ante fecit, & colloquium offe-
rat ut prius positum est, quod Legatus ordine exe-
quebatur, quintodecimo præsentis mensis Aprilis, in
oculis & auribus ipsius Reginæ, & dominorum
Consiliariorum, astante etiam Domino Florentio
Diaceto, quem Regijs literis Reginæ commenda-
uit eodem die, ad huius negotij pertractationem.
Iste uerò Regius Legatus ab Angliæ Regina
petiuit, ut belli consilia relinquens, copias domum re-
uocaret, controuersias & lites legitimæ disceptati-
oni, certarum personarum utrinq; sumptarum com-
mitteret, in earum decretis utraque pars acquiesce-
ret. Occursum autem à Regina est, & eius consi-
liarijs exercitum Anglicum iam ante duodecim
dies, ad Lethum obuersari, paratum illud negotiũ
obire, propter quod tantum uiæ confeciſſet, nimirum
ut ui inde Gallicum præsidium exturbaret, ueluti
ante minis denunciauisset, quapropter nolle Re-
ginam temporis opportunitatem prætermittere,
ne mora sibi detrimentosa fore posſit, in quo Regina
planè recessit à pacis conditionibus. Cum igitur D.
de Seure Regis Consiliarius & ad Angliæ Re-
ginam Legatus, mandatum accepisset, ut protesta-
retur de rupto pacis fœdere, D. Glatonẽ & Epi-
scopum Aquilensem, Regis Catholici Legatos,
rogauit, ut tantisper in Angliæ Reginæ præsentia

 consisterent,

consisterent, donec illæ coram Regina uias omnes et modos ineundæ pacis exposuissent, quibus Rex eam quantum ius & æquum erat ad quietem & concordiam inuitauisset, & idem Legati testes ut deinceps esse possent, omnia fecisse Regẽ quæ potuerit & debuerit, nec per illum stetisse, quo minus amica compositione transactum sit: cum autem id Legati recusarent, quoniam Rex Catholicus nihil illis huiusmodi commisisset, Regius Legatus Protestationẽ scripto comprehendit, hac ipsa sententia, quæ literis diuulgata est, quam Protestationem aliquanto post, idem Legatus coram Dominis Consiliarijs Angliæ memoriter recitauit, deinde ueniam ab Angliæ Regina requirens, ut mandatum implere posset, palam ante Consiliarios attestabatur, nomine Regis Galliæ, sicut etiam attestatur in hoc scripto præsenti, legitimam omnem reuerentiam adhibens, uiolatum esse pacis fœdus: adiungens etiam, quod omnes apparatus bellici quos Dominus suus Galliæ Rex in Scotiam immisit, uel immittit hoc tempore, nullum habent alium propositum aut finem, nisi Scoti rebelles, ut in ordinem redigantur, & legitimè Regi se summittãt, & Reginæ coniugi charissimæ. quod adhuc si facere uelint, Regem & Reginam clementer illis condonaturos, & illorum omnia peccata prorsus ab animis suis amoturos. Porro Regius

gtus idem Legatus offerebat, & adhuc offert, colloquium à uiris bonis & integris, iuxta formulam prioris tractatus instituendum, & ut idem omnibus utantur conuenientissimis ad concordiam & amicitiam rationibus. Adhæc pollicetur legatus deductorum ex Scotia, Regem sua præsidia, si Scotiæ rebelles in Regis & Reginæ legitimam potestatem redire uelint, atque hoc modo dempturum Regem, Angliæ Reginæ metum omnem & dubitationem, quibus nunc suspendi uidetur, propter pericula terris suis imminentia. Quod si Regina nolit has amicitiæ conditiones accipere, nec à proposito Gallicorum præsidiorum infestandorum recedere, Galliæ Rex ad hoc animum adijciet, quomodo suum, & regni sui statum conseruare possit. Illud etiam amplius testificans, quod magnum in eo dolorem accipiet, si cogetur iniurijs, à Regina continenter perpetuatis bellum suscipere. cuius rei totus orbis terrarum testis esse potest, bellum autem, hoc si necesse erit, geri, Rex ita geret, ut nihil aliud præter suam & suorum hominum defensionem in eo spectauisse uideatur: & huius uniuersæ Protestationis exemplum, idem legatus D. Seure apud Angliæ Reginam & eius Consiliarios deposuit.

uicesimo die Aprilis. 1560. post Pascha.

Londini

apud Reginaldum Wolfium,
Regiæ Maiest. in
Latinis typo-
graphum.

Cum privilegio Regiæ Maiestatis.

BRITISH MUSEUM

Responsum ad Pro-

TESTATIONEM, QVAM ORA-
tor Regis Gallorum, nomine sui
Principis, Serenissimæ An-
gliæ REGINAE obtulit
xx. die Aprilis,
ANNO DOMINI
M. D. LX.

C. 33. b 14
2

Londini
apud Reginaldum Wolfium,
Regiæ Maiest. in
Latinis typos
graphum.
[1569]

Cum priuilegio Regiæ Maiestatis.